This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lb
5
220.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

1842

Digitized by Google

Sb 5.220.5

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 17 June, 1903.

Digitized by Google

DE VITA ET SCRIPTIS
ANICII MANLII TORQ. SEVERINI BOETHII
DISSERTATIO.

QUAM

VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. UPSAL.

PRÆSIDE

MAG. JONA SELLÉN

ELOQUENTIÆ ET POËSEOS PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS BERGSTEDT

SUDERMANNO-NERICIUS.

IN AUDIT. GUSTAV. DIE I JUN. MDCCCXLII.

H. P. M. S.

UPSALIAE

EXCUDEBANT WAHLSTRÖM ET LÅSTBOM.

1842

Digitized by Google

Lb 5.220.5

Digitized by Google

Consideranti mihi, qualis esset ultima aetas literarum Romanarum, qualisque inde oriunda Medii, quod dicitur, Aevi eruditio et humanitas, nulla re potius utrumque ostendi posse videbatur, quam si, quid ad artium et literarum habitum immutandum valeret Christiana religio, reperire potuissem, et apud ipsos auctores, qui collabente jam imperio Romano et deficiente vetere literarum splendore, novae doctrinae praeceptis imbuti scripserunt, novam rerum humanarum conditionem velut in monumento positam intuerer. Inclinato vero ad hanc rem diligentius examinandam animo, nemo mihi eorum, qui his temporibus scripserunt, magis idoneus videbatur Boëthio; quippe qui in antiquos maxime mores Romanos institutus literisque politus, invalescente nova rerum divinarum cognitione, coalescentium paullatim in unum duarum aetatum diversarum formam atque imaginem exprimeret. Dubitatur quidem, num ipse in numero Christianorum sit habendus, quum in iis operibus, quae ab eo conscripta esse certissime constat, nulla fiat tam certa tamque sibi constans mentio, ut penitus perspici possit, sitne Ecclesiae adnumerandus. Hoc autem minime est dubium, illa etiam, quae de Philosophia scripserit, vim illam et momentum, quod in universam

Digitized by Google

de rebus divinis et humanis sentiendi credendique rationem habuerit religio Christiana, certissime indicare. Quod quidem alio forsitan tempore probare conabimur, quum, quibus natus educatusque temporibus, quantaque eruditionis instructus supellectile, qualem degerit vitam, quoque fato decesserit, paucis verbis significaverimus.

Ortus est igitur clarissimis parentibus et majoribus Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëthius Romae anno p. Chr. n. CDLXX, in eo fortunae loco, ut eorum, quae ad vitam literarum laude et publicis honoribus illustrandam opus sunt, nihil desideraret. Jam teneris ab annis patre orbatus, amicorum, ut ipse testatur [1], fide curaque susceptus, missusque Athenas, ubi illo tempore restaurata literarum et philosophiae studia magna clarissimorum virorum agitabantur frequentia atque ardore, annos complures, etiamsi probari nequit, totos ibi decem et octo annos eum degisse, cum in aliorum Philosophorum, tum imprimis Platonis atque Aristotelis scriptis cognoscendis, singularem posuit operam atque industriam. Quibus in Philosophia usus sit doctoribus, non satis liquet. Quum vero constet, Proclum illis temporibus Athenis publicas habuisse scholas, hunc a nostro fuisse diligentius auditum, satis est credibile. In Aristotele interpretando videtur Porphyrium maxime secutus fuisse; ita, ut sublimem et paene divinam Platonis philosophandi rationem

---

1) Desolatum parente summorum virorum cura suscepit. Consol. Philos. Lib. II. p. 3.

Digitized by Google

pariter ac subtiliorem Aristotelis artem dialecticam simul comprehendere, et hunc magis Platonice et ex mente Eclecticorum, quam ex interpretatione scholae Alexandreae explicare videretur. Liquet id non magis ex scriptis illis Aristotelis et Porphyrii, quae in latinum vertit, quam ex libris, quos de Consolatione Philosophiae conscripsit, ubi multis locis de Fato, de causa mundi sive Demiurgo, de ideis aeternis in mente divina comprehensis, de recordatione imaginum caelestium et interno mentis lumine Neoplatonica omnino ratione disserit*). In rebus Mathematicis et Physicis non minus eum assidue versatum esse constat. Poëticae quoque artis fuisse eum studiosissimum, cum ex eo colligitur, quod initio librorum de Consolatione Philosophiae de se ipse testatur, "peregisse se quondam studio florente carmina", tum maxime ex ipsa indole ac natura carminum, quae in toto sparsa opere non solum egregiam ingenii facilitatem et imaginum quasi ditissimam venam, sed summum ipsius studium et indefessam limae laborisque patientiam testantur.

Sed jam de studiis literarum et Philosophiae, quibus Athenis imbutus fuit, satis dixisse mihi videor. Romam Athenis reversum tam egregia animi indoles elegantioris cujusvis doctrinae instructa supellectile, quam mores ad humanitatem optime conformati summis in Republica viris magnopere commendaverunt; ita, ut adolescentem ad

---

*) Consol. Philos. Lib. III. metr. 2, 11; Lib. IV. m. 9.

Digitized by Google

summa natum ambire, et affinitates amicitiasque ultro ei offerre haud inhonestum sibi putarent. Scripserunt nonnulli, eum in priori matrimonio habuisse Elpidem quamdam, virginem nobilissimam, filiamque, ut creditur, Festi patricii, ex eaque duos filios, Patritium et Hypatium procreavisse; fuisse autem ipsam Elpidem non solum integritate morum, sed literarum laude praeclaram; quippe cujus ferantur esse hymni duo in honorem Apostolorum conditi, qui per complura secula in Ecclesia canebantur. Quum vero apud veteres illos, qui horum temporum perscripserunt historiam, hujus conjugii mentionem factam nusquam videam[3]); rem haud satis firmis nixam testimoniis equidem in medio relinquam. Postero autem tempore duxisse eum Rusticianam, Symmachi Senatoris filiam, satis constat, ex eaque duos habuisse filios, patris socerique nominibus appellatos. Hi iidem sunt, qui vivo etiamtum patre Consules (a. p. Chr. DXXII) commemorantur, non, ut ab aliis creditur, ex priori nati matrimonio; ita, ut illud quoque a vero alienum videatur, quod habet Petrus Bertius in vita Boëthii, eum jam a. p. Chr. D, aut, ut habent alii, a. DIV, cum Theodericum Gothorum regem Romam venientem Senatûs nomine salutaret, duos filios consulari potestate habuisse insignes. De tribus, quos hic enumerat, Boë-

3) Negat omnino Muratorius fuisse Elpidem Boëthii uxorem: *Ebbe per moglie Rusticiana Figliuola di Simmacho Patrizio (e non già un' altra moglie chiamata Elpe)*. Annali d'Italia Tomo III. p. 340.

Digitized by Google

thii consulatibus (annis p. Chr. n. CDLXXXVII, DX, DXXII) ita judicat clarissimus Muratorius, primo illo anno consulem fuisse Boëthii patrem, qui hoc idem tenuit nomen, medio ipsum, tertio denique filios, quorum alter avi patrisque nomine Boëthius, alter avi materni Symmachus appellatus sit. Consulem autem fuisse nostrum a. DX inter omnes constat. Atque hoc maxime tempore omnem Philosophiam Latinis literis illustrandam sibi sumpsisse videtur. Profecto mirum videri debet, potuisse eum tot officii Consularis urgentibus curis, his omnibus studiis vacare. Multa de rebus Logicis scripsit, quorum partem ipse excogitavit, partem alios est commentatus, multa in Musica quoque arte et Mathematica ab eo scripta habemus. Exstant praeterea complura de aliis doctrinis ejusdem opera, si forte ejus sunt omnia illa, quae de rebus Sacris ab eo scripta feruntur. Neque tamen ita fuit in meditando et scribendo occupatus, ut vitae communi rebusque agendis deesset. Contra saepissime factum est, ut Theodericus rex opera ejus uteretur; quod quidem ex multis locis Cassiodori (Variarum Lib. I. 45. II. 40. 41) satis liquet. Magna etiam per Theodericum ejus fuit apud exteros fama, ut ex literis compluribus intelligi licet, quas idem historiarum scriptor memoriae prodidit. Munus in aula regis Gothici tenuit *Magistri Officiorum*, quod in hoc maxime, teste eodem, fuit positum, ut in domo regia morum curaret disciplinam, singulas scribarum scholas tabellariosque publicos inspiceret, videretque, ne quid

Digitized by Google

contra bonum ordinem et decorum committeretur. Ejus quoque fuit legatos aliosque, qui conveniendi regis copiam peterent, apud regem introducere, et magistratus eos, qui *Peraequatores rerum victualium* vocabantur, urbi praeficere. Ex multis praeterea rebus liquet, in intimam eum regis familiaritatem atque amicitiam pervenisse multumque ipsius apud eundem auctoritatem valuisse. Multa quidem in bonis honestisque civibus defendendis et malis castigandis, cum magno suo periculo, praeclare egit. Longum est omnia enumerare; videamus, quid de rebus gestis suis ipse memoriae proditum reliquerit [4]): *Susceptae mihi sunt*, inquit, *cum improbis graves inexorabilesque discordiae, et quod conscientiae libertas habet, pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi! Quoties Triguillam, regiae praepositum domus, ab incepta perpetrataque jam prorsus injuria dejeci! Quoties miseros, quos infinitis calumniis impunita Barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi! Numquam me ab jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas, tum privatis rapinis, tum publicis vexationibus pessumdari, non aliter, quam qui patiebantur, indolui. Cum acerbae famis tempore gravis atque inexplicabilis indicta coëmptio profligatura inopiâ Campaniam provinciam videretur, certamen adversus prae-*

4) Consol. Philos. Lib. I. pros. 4.

Digitized by Google

fectum praetorii, communis commodi ratione, suscepi, rege cognoscente contendi, et, ne coëmptio exigeretur, evici. Paulinum consularem virum, cujus opes Palatini canes jum spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus retraxi. Ne Albinum consularem virum praejudicatae accusationis poena corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas videor exacerbasse discordias?

Haec autem liberalis Albini defensio, quae nihil accusato profuit, ipsi Boëthio fatalis fuit. Cyprianus, qui in aula Gothica officio *Comitis Sacrarum largitionum* fungebatur, regi detulerat, Albinum cum Imperatore Justino perfidum habuisse epistolarum commercium. Boëthius tum Veronam, ubi illo tempore rex erat, festinans, totam Albini causam suscepit. Hac re exacerbatum jam Theodericum Cyprianus delatione sua amplius irritavit, quum in defendentem Boëthium tres viros pessimae famae produceret, qui dicerent, ei quoque proditionis causa mutuum literarum usum cum Imperatore Constantinopolitano intercessisse. Invenio apud ipsum Boëthium nomina horum trium delatorum[5]). Basilium, Opilionem, Gaudentium fuisse, testatur etiam Muratorius in opere, cujus supra mentionem fecimus; quorum primus, ut ipse est Auctor, olim regis ministerio pulsus, ad hanc delationem aeris alieni causa compulsus erat; ceteri autem duo quum ob innumera flagitia in exsilium ire jussi es-

5) Consol. Philos. L. I. pr. 4.

Digitized by Google

sent, sacris sese aedibus tutabantur. Erat exspectandum, regem nisi delatorum aperto testimonio praesentem reum et in scelere convictum non fuisse condemnaturum; quod tamen ita ex contrario factum est, ut Boëthius, quum Senatus, jussu regis, Romae capitis sententiam pronuntiasset, temporis spatium in agro Calventino [6]) carcere detentus, quo tempore praeclaros de Consolatione Philosophiae libros conscripsit, aut hoc anno (p. Chr. n. DXXIV) aut insequenti, neque inexpertis tormenti doloribus [7]) falsi criminis supplicium capite lueret. Neque multo post, Symmachus, metuente rege, ne dolore generi adversus se aliquid inciperet, mortis obiit supplicium [8]).

Cujus quidem crudelitatis in duos hujus temporis clarissimos viros severa admodum atque acerba reprehensio Theodericum attigit, neque minus ipse Boëthius locis, quos supra attulimus, ubi de accusatione sui mentionem facit, cruentam et sceleratam regis naturam acerrimis depingit coloribus. Quum vero alii fere omnes, qui illorum temporum historiam scripserunt, in eo consentiant, quod aequum et mite Theoderici ingenium vel summis efferunt laudibus, quorum quidem Procopius, cujus tanta est in rebus Gothicis auctoritas, hoc pro certo affirmat, nemini umquam Italorum ante supplicia

6) Vales. Anon.

7) *Accepta chorda in fronte, diutissime tortus, ita ut oculi ejus creparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur.* Vales. Anon. §. 8. Procopius in medio reliquit, qua ratione vita decederet.

8) Vales. Anon.

Digitized by Google

Boëthii et Symmachi Theodericum injuriam intulisse [9]); non satis est credibile, crudelitatem quamdam aut nimium in Catholicos odium causas fuisse, cur regnum ceterum omni laude illustre, duorum tam atrocium facinorum memoria pollueret. Magis est veri simile Theodericum, instante jam periculo ab Sectatoribus Justiniani, qui eo tempore apud Justinum imperatorem plurimum poterat, novandarum Italiae rerum cupidissimis, metuentem, ne in ipsius regno adversus se, barbarum et Arianum regem, a civibus Romanis et Catholicis aliquid fieret, ultro delatione Cypriani exasperatum, hoc primum quaesisse, qua via virum adfinitatibus atque amicitiis non magis, quam summis in republica honoribus praepotentem de medio tolleret et nocendi facultatem eriperet; deinde vero, manantibus magis in dies rumoribus, tum demum metu, ne quid Boëthii causa irritatis atque offensis animis subito novaretur, suum periculum ejus evitavisse supplicio. Quod si de martyris gloria, qua eum afficere certaverunt insequentis temporis Christiani, aliquantum detrahat res illa, de qua tam multorum scriptorum testimoniis constare video, summa fuisse regem Gothicum in omnes Christianorum sectas lenitate ac patientia; nihilo tamen minus tanti talisque viri fato commoveri fas est, qui ultimus antiquorum morum et literarum propugnator quasi natus factusque, imminente jam veterum ruina, novae re-

9) Videtur tamen hoc loco Procopius omnem caedis in Odovacrem facti, qua regnum incepit Theodericus, memoriam reticuisse.

Digitized by Google

rum conditioni morte sua viam patefecit[10]). Poenituisse autem vehementer Theodericum praecipitis crudelitatis suae, haud ambiguis verbis significat Procopius, neque negat, fuisse famam, regem gravissimis conscientiae angoribus excruciatum, ex appositi in mensa immanis piscis facie truces Symmachi et minaces vultus cernere sibi visum fuisse, eaque eum specie tam vehementer commotum, ut accedente insuper corporis infirmitate, intra tridui spatium de vita decederet[11]). Idem memoriae prodidit, Amalasuntham, Theoderici filiam, liberis Boëthii bona reddidisse statuasque eidem restituisse, ut mortui memoriam publico quodam monumento celebraret. In hac autem causa examinanda et dijudicanda id nobis sufficiat, si omissa omni criminis quaestione, vere tragicum illud ac sublime, quod in omni inter nascentem et occidentem rerum humanarum conditionem certamine ac dimicatione inest, paullo attentius consideraverimus; quae tunc tempora inciderant, ubi evanescente vetere reipublicae forma simul cum antiquae sive classicae humanitatis splendore, gentes Germanae, nova Christianismi luce calescentes, alium artium et literarum, alium humani civilisque cultus habitum informarunt.

De magna et varia Boëthii eruditionis copia pariter atque eleganti in literis judicio, jam ante paullum di-

---

10) *Ultima Theoderici Ostrogothi facta in Symmachum Boëthiumque non excuso; illud tamen video, actum ibi non de religione, quae Boëthio satis Platonica fuit, sed de imperii statu.*" Grotius in Prolegom. ad Historiam Gothorum pag. 82.

11) Procopius de bello Gothico L. I. 2.

Digitized by Google

ctum est. Dignus quidem fuit, qui meliori viveret seculo; si quidem universam rerum humanarum seriem spectantibus altera aetas alterâ melior aut deterior videri solet. Hoc tamen pro certo affirmare licet, suae eum aetatis ferream et barbaram indolem ingenii subtilitate atque eruditionis elegantia longe superavisse; et si vires unius viri ad cadentes disciplinas et fugientes jam Musas Latiales retinendas sufficerent, huic maxime debuisse eos, qui Occidentis partes incolerent, quod non omnis antiquitatis cultûs elegantioris expertes essent. Boëthii magnam jam Seculo VI fuisse famam atque existimationem ex multis Cassiodori et Ennodii locis liquet; id quod minime est mirandum, quum et clarissimum virum nemo suae aetatis hominum literarum laude superaret, et, quoniam jam paucissimi Graece scirent, ipsius scripta sufficere viderentur, ex quibus totius Philosophiae praecepta hauriri possent. Quod autem ad morum integritatem et vitae laudem attinet, haud paullum illi auctoritatis apud Scholasticos et Monasticos medii aevii homines id quoque addidisse videtur, quod memoriae proditum est, eum cum S. Bernhardo intima fuisse familiaritate conjunctum et mensae Tertullii in monte Cassino adhibitum. Quamquam haec omnia credulae nimis martyrum historiae testimonia in medio relinquam. Illud vero dubio caret, Boëthium a seculo septimo usque ad renatas recentiori aetate literas, omnium fere scriptorum Latinorum principem, et auctoris in Philosophia classici loco et honore esse habitum. Ad id

probandum vel hoc unum sufficiat, quod primus Alfredus rex Anglorum libros de Consolatione Philosophiae in Anglo-Saxonicam linguam vertit, et deinde alii multi suo quisque sermone elegans illud et vitae hominum maxime salutare opus refingere studuerunt [18]). Sic factum est, ut non solum iis vehementer probaretur, qui medio, quod dicitur, aevo ad exemplum humanitatis atque eruditionis, qua excellebant Romani antiqui, instrui cuperent, quam quidem gloriam postero tempore cum Horatio et Cicerone habuit communem, sed ob probitatem integritatemque, in scriptis suis elucentem, pariter ac nativam quandam orationis simplicitatem atque elegantiam ab eruditissimo quoque Christianorum in summis habitus sit deliciis. Neque adeo a vero alienum videtur, eum formam illam scribendi induxisse, qua imaginum quadam specie, quam nos Allegoriam vocamus, rerum notiones proponuntur, qnae per totam hanc aetatem recepta probataque fuit, ut posterorum medii aevi scriptores sub fictis quibusdam in formam humanam personis res incorporeas, ut virtutes et rerum notiones, inducerent.

Quamquam de universo genere scribendi, quo usus est Boëthius, plenius exponere nos vetant angusti hujus opellae fines, atque magis accuratam librorum, quos de

---

18) Inter eos, qui recentiori tempore opus Boëthii in suam quisque linguam verterunt, nominare oportet: in Anglicam: *Chaucer*, *Rawlingson*; Gall. *Jehan de Meun*; Ital. *Bernardo Varchi*; Hispan. *Gineereda*; Teuton. *Freytag*, *Rosenroth* cett.

Consolatione Philosophiae conscripsit, imaginem in aliud tempus effingere nobis reservamus. Hoc loco tantummodo de dispositione operis atque elocutione pauca exponenda videntur. Quinque partibus sive libris totum opus est descriptum. Libro I inducitur Philosophia sub specie nobilissimae mulieris apud Boëthium in carcere multa querentem de mutata vitae conditioue, fugatisque Musis adstantibus, impatientem fortunae reprehendit simul et consolatur. Ille merita sua de civibus exponit, tum accusationis suae atque exsilii causas patefacit, vitaeque ac factorum suorum innocentiam testatur. Mox de injuria sibi illata laesaque bona existimatione queritur. Philosophia, quae sint animi perturbationes earumque origo, inquirit. Libro II Philosophia ostendit, immerito Boëthium pristinae fortunae desiderio teneri, inducitque ipsam fortunam, quae Boëthium alloquitur, probatque, eum non esse infelicem. Docet deinde Philosophia, felicitatem hominum non in rebus fortuitis, divitiis, potentia et dignitatibus, aut in fama et gloria esse positam, sed contra adversam quandoque fortunam hominibus esse vel maxime salutarem. Libro III Philosophia docet, omnes beatitudinem appetere, sed multos aberrare, ut eam assequi nequeant, dum in cumulandis opibus, honoribus, potentum amicitiis, aut quaerendis corporis voluptatibus omnem ponunt curam industriamque; hanc autem non esse veram felicitatem; aut si qua esse videatur, multis implicitam aerumnis et calamitatibus: in uno Deo summum esse bonum, ejusque arbitrio cuncta gubernari.

Digitized by Google

Libro IV mirantem, cur saepe in rebus humanis mala optimo cuique, bona pessimo eveniant, Philosophia docet, bonos solos esse potentes et felices, malos vero, etiamsi non puniantur, semper imbecillos et infelices. De providentia et fato ita disserit, ut omnis fortuna, etiam gravis et aspera, nisi bona esse non posse videatur. Libro V ostenditur, quid sit, quod casus dicitur, numque sit liberae hominum voluntati contrarius: quis providentiae ordo, quae fati in universo regendo series: neque tolli libertatem humanam divina praescientia. Haec fere summa est operis, quod ex brevibus sermonibus constat parvulisque intextis carminibus, quae ab ipso metra appellantur. Sermo purus atque elegans, ut illis temporibus, orationi Ciceronianae proxime accedit; in metris Senecam Tragicum potissimum secutus fuisse videtur. Nullam in his libris traditae divinitus doctrinae facit mentionem; fortasse, quia a levioribus contra aegritudinem animi incipiens remediis, sublimiora inde a religione divinitus patefacta sequenti libro repetiturus erat argumenta. Hoc tamen in medio relicto, non possumus non contendere, tam sublimem tamque veram divinae providentiae notionem haud facile e sola Philosophia, qualis tunc erat, hauriri potuisse. Certe sensus illi teneriores, et submissi atque culpae conscientia moerentis animi habitus, qui Christianorum proprius erat, cum duriori et superba quodammodo Stoicorum ratione apud eum in unum coalita videntur; idemque, medium quasi inter utrosque locum occupans, ponti non ab-

Digitized by Google

similis, ut habet elegantissimus nostri temporis auctor[13]), inter duas diversi ingenii aetates nexum quemdam utriusque praebet et quasi communionem.

Nec silentio praetereunda videtur mira illa similitudo, quae inter Boëthium et Ciceronem, quantum quidem vir ingruenti temporum barbariae nequidquam obluctans cum eo comparari possit, qui optimo et politissimo vixit seculo, intercedit. Non enim solum genus scribendi idem fere utrique fuit, sed iisdem ferme finibus utriusque patuit eruditio. Alio fortasse tempore similitudinem discrepantiamque inter opus Boëthii, quod diximus, et Quaestiones Tusculanas Ciceronis indicare conabimur. Ad hunc locum id tantum pertinet significare, quibus in doctrinis uterque versatus sit, ut, quod in artibus literisque Graecorum pulcherrimum praestantissumumque esset, id sua uterque lingua literisque refingerent. Sic Boëthius aeque ac Cicero, cujus ad exemplum formatus atque institutus fuisse videtur, omnem fere Philosophiam latinis literis explicavit et et in nullo fere non scientiae genere multa commentatus est, nisi forte unum genus Rhetoricum excipere vis[14]). Sed non tantum scriptorum, verum et hominum ingenia et vitae

---

13) Rosencranz Allgem. Geschichte d. Poësie. Tom. II. p. 50.

14) Ex manuscripto veteri Vaticano (Classici Auctores e Vaticano codice editi. Romae MDCCCXXXI. Tom. III.) et alio quodam item Vaticano Seculi XI, clarissimus vir *A. Maius* duo hactenus ignota edidit opera Boëthii, quorum alterum inscribitur *Communis Speculatio de Rhetoricae cognatione*, alterum *Locorum Rhetoricorum distinctio.*

Digitized by Google

contra bonum ordinem et decorum committeretur. Ejus quoque fuit legatos aliosque, qui conveniendi regis copiam peterent, apud regem introducere, et magistratus eos, qui *Peraequatores rerum victualium* vocabantur, urbi praeficere. Ex multis praeterea rebus liquet, in intimam eum regis familiaritatem atque amicitiam pervenisse multumque ipsius apud eundem auctoritatem valuisse. Multa quidem in bonis honestisque civibus defendendis et malis castigandis, cum magno suo periculo, praeclare egit. Longum est omnia enumerare; videamus, quid de rebus gestis suis ipse memoriae proditum reliquerit [4]): *Susceptae mihi sunt*, inquit, *cum improbis graves inexorabilesque discordiae, et quod conscientiae libertas habet, pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi! Quoties Triguillam, regiae praepositum domus, ab incepta perpetrataque jam prorsus injuria dejeci! Quoties miseros, quos infinitis calumniis impunita Barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi! Numquam me ab jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas, tum privatis rapinis, tum publicis vexationibus pessumdari, non aliter, quam qui patiebantur, indolui. Cum acerbae famis tempore gravis atque inexplicabilis indicta coëmptio profligatura inopiâ Campaniam provinciam videretur, certamen adversus prae-*

4) Consol. Philos. Lib. I. pros. 4.

Digitized by Google

fectum praetorii, communis commodi ratione, suscepi, rege cognoscente contendi, et, ne coëmptio exigeretur, evici. Paulinum consularem virum, cujus opes Palatini canes jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus retraxi. Ne Albinum consularem virum praejudicatae accusationis poena corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas videor exacerbasse discordias?

Haec autem liberalis Albini defensio, quae nihil accusato profuit, ipsi Boëthio fatalis fuit. Cyprianus, qui in aula Gothica officio *Comitis Sacrarum largitionum* fungebatur, regi detulerat, Albinum cum Imperatore Justino perfidum habuisse epistolarum commercium. Boëthius tum Veronam, ubi illo tempore rex erat, festinans, totam Albini causam suscepit. Hac re exacerbatum jam Theodericum Cyprianus delatione sua amplius irritavit, quum in defendentem Boëthium tres viros pessimae famae produceret, qui dicerent, ei quoque proditionis causa mutuum literarum usum cum Imperatore Constantinopolitano intercessisse. Invenio apud ipsum Boëthium nomina horum trium delatorum[5]). Basilium, Opilionem, Gaudentium fuisse, testatur etiam Muratorius in opere, cujus supra mentionem fecimus; quorum primus, ut ipse est Auctor, olim regis ministerio pulsus, ad hanc delationem aeris alieni causa compulsus erat; ceteri autem duo quum ob innumera flagitia in exsilium ire jussi es-

5) Consol. Philos. L. I. pr. 4.

Digitized by Google

sent, sacris sese aedibus tutabantur. Erat exspectandum, regem nisi delatorum aperto testimonio praesentem reum et in scelere convictum non fuisse condemnaturum; quod tamen ita ex contrario factum est, ut Boëthius, quum Senatus, jussu regis, Romae capitis sententiam pronuntiasset, temporis spatium in agro Calventino [6]) carcere detentus, quo tempore praeclaros de Consolatione Philosophiae libros conscripsit, aut hoc anno (p. Chr. n. DXXIV) aut insequenti, neque inexpertis tormenti doloribus [7]) falsi criminis supplicium capite lueret. Neque multo post, Symmachus, metuente rege, ne dolore generi adversus se aliquid inciperet, mortis obiit supplicium [8]).

Cujus quidem crudelitatis in duos hujus temporis clarissimos viros severa admodum atque acerba reprehensio Theodericum attigit, neque minus ipse Boëthius locis, quos supra attulimus, ubi de accusatione sui mentionem facit, cruentam et sceleratam regis naturam acerrimis depingit coloribus. Quum vero alii fere omnes, qui illorum temporum historiam scripserunt, in eo consentiant, quod aequum et mite Theoderici ingenium vel summis efferunt laudibus, quorum quidem Procopius, cujus tanta est in rebus Gothicis auctoritas, hoc pro certo affirmat, nemini umquam Italorum ante supplicia

6) Vales. Anon.

7) *Accepta chorda in fronte, diutissime tortus, ita ut oculi ejus creparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur.* Vales. Anon. §. 8. Procopius in medio reliquit, qua ratione vita decederet.

8) Vales. Anon.

Digitized by Google

Boëthii et Symmachi Theodericum injuriam intulisse [9]); non satis est credibile, crudelitatem quamdam aut nimium in Catholicos odium causas fuisse, cur regnum ceterum omni laude illustre, duorum tam atrocium facinorum memoria pollueret. Magis est veri simile Theodericum, instante jam periculo ab Sectatoribus Justiniani, qui eo tempore apud Justinum imperatorem plurimum poterat, novandarum Italiae rerum cupidissimis, metuentem, ne in ipsius regno adversus se, barbarum et Arianum regem, a civibus Romanis et Catholicis aliquid fieret, ultro delatione Cypriani exasperatum, hoc primum quaesisse, qua via virum adfinitatibus atque amicitiis non magis, quam summis in republica honoribus praepotentem de medio tolleret et nocendi facultatem eriperet; deinde vero, manantibus magis in dies rumoribus, tum demum metu, ne quid Boëthii causa irritatis atque offensis animis subito novaretur, suum periculum ejus evitavisse supplicio. Quod si de martyris gloria, qua eum afficere certaverunt insequentis temporis Christiani, aliquantum detrahat res illa, de qua tam multorum scriptorum testimoniis constare video, summa fuisse regem Gothicum in omnes Christianorum sectas lenitate ac patientia; nihilo tamen minus tanti talisque viri fato commoveri fas est, qui ultimus antiquorum morum et literarum propugnator quasi natus factusque, imminente jam veterum ruina, novae re-

9) Videtur tamen hoc loco Procopius omnem caedis in Odovacrem facti, qua regnum incepit Theodericus, memoriam reticuisse.

rum conditioni morte sua viam patefecit [10]). Poenituisse autem vehementer Theodericum praecipitis crudelitatis suae, haud ambiguis verbis significat Procopius, neque negat, fuisse famam, regem gravissimis conscientiae angoribus excruciatum, ex appositi in mensa immanis piscis facie truces Symmachi et minaces vultus cernere sibi visum fuisse, eaque eum specie tam vehementer commotum, ut accedente insuper corporis infirmitate, intra tridui spatium de vita decederet [11]). Idem memoriae prodidit, Amalasuntham, Theoderici filiam, liberis Boëthii bona reddidisse statuasque eidem restituisse, ut mortui memoriam publico quodam monumento celebraret. In hac autem causa examinanda et dijudicanda id nobis sufficiat, si omissa omni criminis quaestione, vere tragicum illud ac sublime, quod in omni inter nascentem et occidentem rerum humanarum conditionem certamine ac dimicatione inest, paullo attentius consideraverimus; quae tunc tempora inciderant, ubi evanescente vetere reipublicae forma simul cum antiquae sive classicae humanitatis splendore, gentes Germanae, nova Christianismi luce calescentes, alium artium et literarum, alium humani civilisque cultus habitum informarunt.

De magna et varia Boëthii eruditionis copia pariter atque eleganti in literis judicio, jam ante paullum di-

---

10) *Ultima Theoderici Ostrogothi facta in Symmachum Boëthiumque non excuso; illud tamen video, actum ibi non de religione, quae Boëthio satis Platonica fuit, sed de imperii statu.*" Grotius in Prolegom. ad Historiam Gothorum pag. 82.

11) Procopius de bello Gothico L. I. 2.

Digitized by Google

ctum est. Dignus quidem fuit, qui meliori viveret seculo; si quidem universam rerum humanarum seriem spectantibus altera aetas alterâ melior aut deterior videri solet. Hoc tamen pro certo affirmare licet, suae eum aetatis ferream et barbaram indolem ingenii subtilitate atque eruditionis elegantia longe superavisse; et si vires unius viri ad cadentes disciplinas et fugientes jam Musas Latiales retinendas sufficerent, huic maxime debuisse eos, qui Occidentis partes incolerent, quod non omnis antiquitatis cultûs elegantioris expertes essent. Boëthii magnam jam Seculo VI fuisse famam atque existimationem ex multis Cassiodori et Ennodii locis liquet; id quod minime est mirandum, quum et clarissimum virum nemo suae aetatis hominum literarum laude superaret, et, quoniam jam paucissimi Graece scirent, ipsius scripta sufficere viderentur, ex quibus totius Philosophiae praecepta hauriri possent. Quod autem ad morum integritatem et vitae laudem attinet, haud paullum illi auctoritatis apud Scholasticos et Monasticos medii aevii homines id quoque addidisse videtur, quod memoriae proditum est, eum cum S. Bernhardo intima fuisse familiaritate conjunctum et mensae Tertullii in monte Cassino adhibitum. Quamquam haec omnia credulae nimis martyrum historiae testimonia in medio relinquam. Illud vero dubio caret, Boëthium a seculo septimo usque ad renatas recentiori aetate literas, omnium fere scriptorum Latinorum principem, et auctoris in Philosophia classici loco et honore esse habitum. Ad id

probandum vel hoc unum sufficiat, quod primus Alfredus rex Anglorum libros de Consolatione Philosophiae in Anglo-Saxonicam linguam vertit, et deinde alii multi suo quisque sermone elegans illud et vitae hominum maxime salutare opus refingere studuerunt [12]). Sic factum est, ut non solum iis vehementer probaretur, qui medio, quod dicitur, aevo ad exemplum humanitatis atque eruditionis, qua excellebant Romani antiqui, instrui cuperent, quam quidem gloriam postero tempore cum Horatio et Cicerone habuit communem, sed ob probitatem integritatemque, in scriptis suis elucentem, pariter ac nativam quandam orationis simplicitatem atque elegantiam ab eruditissimo quoque Christianorum in summis habitus sit deliciis. Neque adeo a vero alienum videtur, eum formam illam scribendi induxisse, qua imaginum quadam specie, quam nos Allegoriam vocamus, rerum notiones proponuntur, qnae per totam hanc aetatem recepta probataque fuit, ut posterorum medii aevi scriptores sub fictis quibusdam in formam humanam personis res incorporeas, ut virtutes et rerum notiones, inducerent.

Quamquam de universo genere scribendi, quo usus est Boëthius, plenius exponere nos vetant angusti hujus opellae fines, atque magis accuratam librorum, quos de

---

12) Inter eos, qui recentiori tempore opus Boëthii in suam quisque linguam verterunt, nominare oportet: in Anglicam: *Chaucer*, *Rawlingson*; Gall. *Jehan de Meun*; Ital. *Bernardo Varchi*; Hispan. *Ginevreda*; Teuton. *Freytag*, *Rosenroth* cett.

Digitized by Google

Consolatione Philosophiae conscripsit, imaginem in aliud tempus effingere nobis reservamus. Hoc loco tantummodo de dispositione operis atque elocutione pauca exponenda videntur. Quinque partibus sive libris totum opus est descriptum. Libro I inducitur Philosophia sub specie nobilissimae mulieris apud Boëthium in carcere multa querentem de mutata vitae conditioue, fugatisque Musis adstantibus, impatientem fortunae reprehendit simul et consolatur. Ille merita sua de civibus exponit, tum accusationis suae atque exsilii causas patefacit, vitaeque ac factorum suorum innocentiam testatur. Mox de injuria sibi illata laesaque bona existimatione queritur. Philosophia, quae sint animi perturbationes earumque origo, inquirit. Libro II Philosophia ostendit, immerito Boëthium pristinae fortunae desiderio teneri, inducitque ipsam fortunam, quae Boëthium alloquitur, probatque, eum non esse infelicem. Docet deinde Philosophia, felicitatem hominum non in rebus fortuitis, divitiis, potentia et dignitatibus, aut in fama et gloria esse positam, sed contra adversam quandoque fortunam hominibus esse vel maxime salutarem. Libro III Philosophia docet, omnes beatitudinem appetere, sed multos aberrare, ut eam assequi nequeant, dum in cumulandis opibus, honoribus, potentum amicitiis, aut quaerendis corporis voluptatibus omnem ponunt curam industriamque; hanc autem non esse veram felicitatem; aut si qua esse videatur, multis implicitam aerumnis et calamitatibus: in uno Deo summum esse bonum, ejusque arbitrio cuncta gubernari.

Digitized by Google

Libro IV mirantem, cur saepe in rebus humanis mala optimo cuique, bona pessimo eveniant, Philosophia docet, bonos solos esse potentes et felices, malos vero, etiamsi non puniantur, semper imbecillos et infelices. De providentia et fato ita disserit, ut omnis fortuna, etiam gravis et aspera, nisi bona esse non posse videatur. Libro V ostenditur, quid sit, quod casus dicitur, numque sit liberae hominum voluntati contrarius: quis providentiae ordo, quae fati in universo regendo series: neque tolli libertatem humanam divina praescientia. Haec fere summa est operis, quod ex brevibus sermonibus constat parvulisque intextis carminibus, quae ab ipso metra appellantur. Sermo purus atque elegans, ut illis temporibus, orationi Ciceronianae proxime accedit; in metris Senecam Tragicum potissimum secutus fuisse videtur. Nullam in his libris traditae divinitus doctrinae facit mentionem; fortasse, quia a levioribus contra aegritudinem animi incipiens remediis, sublimiora inde a religione divinitus patefacta sequenti libro repetiturus erat argumenta. Hoc tamen in medio relicto, non possumus non contendere, tam sublimem tamque veram divinae providentiae notionem haud facile e sola Philosophia, qualis tunc erat, hauriri potuisse. Certe sensus illi teneriores, et submissi atque culpae conscientia moerentis animi habitus, qui Christianorum proprius erat, cum duriori et superba quodammodo Stoicorum ratione apud eum in unum coalita videntur; idemque, medium quasi inter utrosque locum occupans, ponti non ab-

Digitized by Google

similis, ut habet elegantissimus nostri temporis auctor[13]), inter duas diversi ingenii aetates nexum quemdam utriusque praebet et quasi communionem.

Nec silentio praetereunda videtur mira illa similitudo, quae inter Boëthium et Ciceronem, quantum quidem vir ingruenti temporum barbariae nequidquam obluctans cum eo comparari possit, qui optimo et politissimo vixit seculo, intercedit. Non enim solum genus scribendi idem fere utrique fuit, sed iisdem ferme finibus utriusque patuit eruditio. Alio fortasse tempore similitudinem discrepantiamque inter opus Boëthii, quod diximus, et Quaestiones Tusculanas Ciceronis indicare conabimur. Ad hunc locum id tantum pertinet significare, quibus in doctrinis uterque versatus sit, ut, quod in artibus literisque Graecorum pulcherrimum praestantissimumque esset, id sua uterque lingua literisque refingerent. Sic Boëthius aeque ac Cicero, cujus ad exemplum formatus atque institutus fuisse videtur, omnem fere Philosophiam latinis literis explicavit et et in nullo fere non scientiae genere multa commentatus est, nisi forte unum genus Rhetoricum excipere vis[14]). Sed non tantum scriptorum, verum et hominum ingenia et vitae

13) Rosencranz Allgem. Geschichte d. Poësie. Tom. II. p. 50.

14) Ex manuscripto veteri Vaticano (Classici Auctores e Vaticano codice editi. Romae MDCCCXXXI. Tom. III.) et alio quodam item Vaticano Seculi XI, clarissimus vir *A. Maius* duo hactenus ignota edidit opera Boëthii, quorum alterum inscribitur *Communis Speculatio de Rhetoricae cognatione*, alterum *Locorum Rhetoricorum distinctio.*

Digitized by Google

rationes comparare jucundum erit. Summis uterque functus honoribus in vita communi nemini umquam bonorum defendendo defuit, gravis uterque in malis castigandis ac severa pristini temporis virtute ac honestate imbutus. Sunt quidem Ciceroni omnia laeta ac serena, eoque duce quasi apricos et amoenos floribus campos ingrederis; intranti vero magis quasi tenebrosos Musae Boëthianae lucos et recessus commovetur animus incerto quodam desiderio et moerore. Quae tamen ingeniorum utriusque discrepantia ex ipsa temporum diversitate facile declaratur. Id autem eis commune fuit, ut aequali flagrarent virtutis, aequali Reipublicae amore, qualis quidem haec non tam in usu vitae esset, quam insita in mentibus optimae civitatis forma cogitaretur. Neuter etiam eorum pro incolumitate ejus se ipsum in vitae periculum dare cunctatus est; utrique vero, quum antiqua civitatis disciplina et civilia instituta non amplius retineri possent, obligatam virtuti ac veritati fidem haud deserens, honestam illam et liberalem vivendi rationem, quam vivus secutus erat, decora morte confirmare et quasi martyrii laude illustrare dubitavit.

Exstant etiamnunc plurima, quae Boëthii nomine feruntur, opuscula, tam seorsim, quam simul edita. Alii ordinem et titulos eorum aliter inscripserunt. Nos hic secuti sumus editiones, quae prodierunt *Venetiis* A. MCDXCI. MCDXCIX. fol. et *Basiliae* MDXLVI fol.

1) In Porphyrium a Victorino translatum. Libri II.
2) — — — a se Latinum factum Libri V.

Digitized by Google

3) In Praedicamenta Aristotelis Libri IV.
4) Commentaria minora in librum de interpretatione, Libri II.
5) — — — majora Libri VI.
6) Analyticorum priorum Aristot., Boëth. interpr. L. VI.
7) — — — posteriorum Libri II.
8) Introductio ad Categoricos Syllogismos.
9) De Syllogismo categorico Libri II.
10) — — — hypothetico Libri II.
11) De divisione Liber unus.
12) De definitione Liber unus.
13) Topicorum Aristotelis, Boëthio interprete, Libri VIII.
14) Elenchorum Sophisticorum Aristotelis Boëth. interprete, Libri II.
15) In topica Ciceronis Libri VI.
16) De differentiis topicis Libri IV.
17) De Consolatione Philosophiae Libri V.
18) Adversus Entychen et Nestorium de duabus naturis et una persona Christi Liber unus, ad Johannem Diaconum Romanum.
19) Ad Symmaehum de trinitate Liber unus.
20) Ad Johannem D. an personarum nomina de essentia praedieentur.
21) An omne, quod est, bonum sit.
22) De unitate et uno.
23) De disciplina Scholarium Liber unus. (Incertum tum, quo jure hic liber, auctore nostro indignus, ei sit adscriptus).
24) De Arithmetica Libri II.
25) De Geometria Libri II.
26) De Musica Libri V.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Lb 5.220.5
De vita et scriptis Boethii dissert
Widener Library 004314331
3 2044 085 185 551

Digitized by Google